



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XLI. De contemptu omnis temporalis honoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

## C A P U T X L I.

*De contemptu omnis temporalis  
honoris.*

1. **F**illi, noli tibi attrahere, si videas alios honorari & elevari, te autem despici & humiliari.

Erige cor tuum ad me in cælum, & non contristabit te contemptus hominum in terris.

2. Domine, in cæcitate sumus, & vanitate citò seducimur.

Si rectè me inspicio, nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura, unde nec justè habeo conqueri adversum te.

Quia autem frequenter & graver peccavi tibi, meritò armatur contra me omnis creatura.

Mihi etiam justè debetur confusio & contemptus; tibi autem laus, honor & gloria.

Et nisi me ad hoc præparavero, quod velim libenter ab omni creatura despici & relinquere, atque penitus

tus nihil videri , non possum interius pacificari & stabiliri , nec spiritualiter illuminari , neque plenè tibi uniri .

C A P U T X L I I .

*Quòd pax non est ponenda in hominibus.*

1. **F**ili , si ponis pacem tuam cum aliqua persona , propter tuum sentire & convivere , instabilis eris & implicatus .

Sed si recursum habes & semper viventem & manentem veritatem , non contristabit amicus recedens aut moriens .

In me debet amici dilectio stare : & propter me diligendus est , quisquis tibi bonus visus est , & multum charus in hac vita .

Sine me non valet , nec durabit amicitia : nec est vera & munda dilectio , quam ego non copulo .

Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorum hominum ,

O

ut